



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

24 Indulgentia ad hoc, ut obtineatur, requiritur, ut homo sit in statu  
gratiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

visitationem Terræ sanctæ, liminum Apostolorum, & S. Jacobi de Compost. in gratiis regendis pro magno Dei beneficio, ut pro pace facta inter Princ. Christianos, pro conversione ad fidem alicujus Provinciarum, vel civitatis, pro victoria contra hostes Ecclesiarum, pro haereticis repellendis,<sup>24</sup> sedando schismate, & pro notabili numero captivorum redimendo, Congreg: sacr. Conc. Trid. super decr. de indulg. seß. 25, decif. mihi 395.

22. Hinc fit, ut opus, † quod pro indulgentia obtinenda imponitur, debeat esse ordinabile, & conducibile ad honorem Dei, & fidei exaltationem, quare, si hoc habuerit, sufficiens videtur ad dandam indulgentiam: & ita in eo non tam attendenda erit quantitas, quam illius qualitas, tum quia indulgentia respicit principaliter gratiam, † non meritum hominum, quia alias non dicere tur indugentia, per citatam gloss. mag. in extravag. com. c. i. de pœnit. & remiss. & Graff. decif. aur. d. c. i. §. num. 51. in fin. par. 1, lib. 4. tum etiam, quia respicit meritum Christi, super quo fundatur, & ex quo sumitur, quia passio Christi fuit excessiva, & excessus vocatur, Luc. c. 9. ubi habetur, quod in Transfig. Christi apparuerunt Moyses, & Helias, & loquebantur de ex-<sup>25</sup>cessu, quem completerus erat in Hierusalem: quoniam unica gutta tam pretiosi sanguinis sufficeret pro redemptione totius mundi, quia propter unionem humanitatis cum persona divina verbi factam, quantulaque que passio ab eo tolerata pro redēptione nostra habebat preium infinitum, & ne tam magnus excessus inanis, & frustratorius remaneret, voluit Christus, ut, tamquam inexhaustus thesaurus in Ecclesia esset per Rom. Pont. Vicarium

suum fidelibus loco & tempore dispensandus, ut in d. gloss. mag. quam sequitur Fely. in d. serm. de indulg. n. 3. vers. & in hoc S. Tho. 3, par. 1, q. 46, art. 5, ad 3. & Navor. in eod. com. de indulg. not. 12, n. 2, & 3. Passio enim Christi est infiniti valoris, & meriti; unde Summus Pont. † & illi, quibus ipse committit, possunt hujusmodi merita Christi, B. M. ac Sanctorum, ubi necesse est, dispensare, Graff. eod. c. 13, nu. 52.

Tertiam vero requisitum ex parte ejus, qui vult consequi indulgentias, sicut ipsa etiam natura nos docet, non posse subiectum formam aliquam in se recipere, nisi ad illam fuerit per praecedentes dispositio-nes prius bene præparatum, sic idem censemendum est venire, etiam suo modo in spiritualibus, & in specie, quoad indulgentias obtinendas, & ideo debet, qui vult indulgentias consequi, se ad illas suscipiendas ritè disponere, cum agens non agat, nisi in paciente bene disposito, & debet esse in statu charitatis, ne tempe vere pœnitens, & confessus, ad hoc, ut sit idoneus ad indulgentias consequendas, facit text. in cap. pœniten-<sup>26</sup>tiæ, in fine, de appell. & Graff. eod. c. 15, nu. 51, vers. secundò requiritur.

Duplex autem † requiritur dispositio, & præparatio ad indulgentias consequendas, una interior, & altera exterior. Interior est, qua homo per contritionem repellit a se peccatum mortale, tamquam impedimentum ad fructum indulgentiae percipiendum, & haec quidem dispositio, si loquamus de tempore, quo percipienda est indulgentia, est omnino necessaria; tum, quia non potest remitti pœna, nisi prius remissa sit culpa, cum Deus non tollat reatum pœnæ sine

